

BIARCO ATHLETA.



Biarco insignis fortitudinis athleta, in aula e-
Brat Roluonis regis Daniæ, quem etiam rex
ob uirtutes plurimū diligebat, Anno mundi 3200.
Accidit autem tum, ut rex fororem suam Rutam
Agnero cuidam desponderet, atque nuptiæ ma-
gno apparatu celebrarentur. In ijs pugiles sponsi
socij, omni petulantia genere debacchantes, in
Ialtonem, amicum Biarconis, nodosa passim ossa
coniiebant. Tum autem Biarco Ialtoni assidēs,
iacentis errore uehementem ictum capite exce-
pit, itaque dolore lacesitus, osse in iacentem re-
missō, frontem eius grauiter læsit. Ea iniuria spon-
sus permotus, uiolatae hilaritatis ultionem Duel-
lo expetiuit. In eo congreslu prior feriendi copia Agnero ob generis digni-
tatem data. Non enim antiquitus in ædendis agonibys crebræ ictuum uicis-
titudines petebantur, sed erat cum interuallo temporis etiam feriendi distin-
cta successio, raris c̄psed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria po-
tius percusionum magnitudini quam numero deferretur. Itaque Agnerus
tanta ui ictum ædidit, ut prima cassidis parte conscissa, supremam capitis cu-
ticulam uulneraret. Tunc Biarco mutuò percussurus, quo plenius ferrum li-
braret, pedem truncō annixus, medium Agneri corpus præstantis acuminis
mucrone transegit.